

quando erupisse præ arrogantia, in hæc verba:
Non minus cupio magnus esse, & magni fieri, ac
Lutherus est. Addebat autem Philippus: Hæc
vox emulationis, inuidentiæ & superbiæ fuit. Lu-
therus enim à Deo honorem, ἀξίωμα, & autori-
tatem habebat, qua minimè efferebatur, & quam
non ambiebat, & osor ac hostis erat omnium su-
perborum & ambitiosorum. Fuit enim vehe-
mens & acer, cum vehementia opus esset: fuit
humanissimus erga omnes: liberalis, presenti ani-
mo atq; læto, affabilis, placidus, cuius os & sua-
uitatem & grauitatem præ se tulit, oculi leonini
acumen ingenij excellentissimi & animum intre-
pidum ostenderunt, in consolandis ægrotis, affli-
ctis, tentatis, totus vixit, ad prosternendum, &
ad erigendum, ut necessitas & circumstantia po-
stulauit, paratus & felix, nemo tam potens, nemo
tam doctus, nemo tam uersutus, qui spiritum eius
potuisset superare, seducere, circumuenire, cessit
omnibus & cessit nulli: omnibus, quo ad officia
illis exhibenda: nulli, quo ad Verbum Dei af-
ferendum: ex verbis animum habuit statim sibi
perspectum: superbos, quantiscunq; essent, ut glu-
mam & stercus fecit, incertos de fide sua, si dociles
essent, cœu pueros, fideliter docuit, si præfracti &
pertinaces in opinionibus defendendis Verbo Dei
repugnantibus & absurdis, iudicio Dei reliquit,
& vates verissimus interitum ipsis prædixit.
Certum etiam hoc est, Deum voluisse per Luthe-
rū,

YUUN,